AD CARDINALITIAM

QVÆSTIO MEDICA

MATVTINIS EXCVTIENDA DISCEPTATIONIBVS, IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS 9. MARTII: CLARISSIMO VIRO D. FRANCISCO DV PORT, DOCTORE MEDICO, MODERATORE DIGNISSIMO.

An grauissimi morbi, quarto, vel antè, perimunt?

HOMO *vt omnium animantium calidissimus: Sic innumeris propè morbis est obnoxius. Nec à congenitis modo quæ intestinam seditionem moueant causis, sed superis corporibus, perenni motu & lumine, Aerem, quatuor anni tempestatum authorem, variè immutantibus, grauiter affici consueuit; à calore morbido frequentius indolescens. Hinc æstu febrili & phlegmonosa fluxione omnium maximè iactatur. Nec immerito solus homo calculosus, arenularum mictione haud necessariò dignoscendus, creditur. Præcipuæ eiusmodi morborum causæ sunt humores à conuenienti symmetria pro cibi potúsque necnon exercitationis aerísque modo recedentes. Quò fit vt aliquando maiori copia, intérdum qualitate aliena, nonnunquam vtraque ratione, in vniuerso corpore redundent: Hinc non solùm grauissimi sed & repentini morbi sæpius oriuntur, putrescentibus humoribus, aut affatim ad præstantiores partes confluentibus, vt quæque minus vegeti roboris extiterit.*

AT *humores calidi tanto ociùs nos afficiunt, quanto facilius potu quam cibo repleri, aquarúmque mutationes quàm aeris periculosiores. Sic in Plethora ad vasa, nimia tensione turgentibus partibus, Phlegmonæ & Apoplexiæ repentè fiunt: Aut iisdem occlusis, innati caloris restinctio, spiritusque præfocatio, aut repentina mors, consequuntur. In calidis humoribus, calidaque aeris constitutione, Natura celeriorem tum concoctionem (quæ iudicatio simul & excretio quædam est) tum Crisin, die impari quam pari tutiorem, sine qua nemo subito morbum euasit, experitur: Contrariis, segniorem. Sed & nonnunquam haud leui humorum labe in morborum insultibus stimulata, Crisin præmaturam atque adeo δύσκριτον adfert. Quæ autem inferiori fit euacuatione tutior quam quæ abscessu. Viribus tamen languentibus nulla excretio nullus abscessus bonus.*

MORBI *omnes tribus præcipuis generibus conclusi, tametsi actionem primò & per se labefactant: Id tamen vt vehementiùs mitiúsue faciunt, ita languidi aut vehementes, magni aut parui, leues aut graues, habendi sunt. Eorum magnitudo vel grauitas non semper ad læsæ partis præstantiam, sensumue consequens, κακοηθείας soboles, vehementi causarum appulsu & symptomatum sæuitia terret. Temperamento morbus dissentaneus maior, vt etiam ætati & consuetudini: Vnde febris, solius intemperiei calidæ non necessariò in totum corpus diffusæ, soboles, senibus, licet sicco corpore, grauior quam iuuenibus (qui tamē senibus morbosiores existunt) remedia maiora postulat. Æstas, insalubrior hyeme, morbis celeritatem addit: Qui tamen hyeme suboriuntur, funestiores. Antumnus in qualitatum actiuarū cōiugatione inæqualis, ideoque omnibus naturis malus, morbos acutissimos & maxima ex parte exitiales accersit.*

MORBI *à validissima Corporis parte prognati grauissimi existunt; cuiusmodi & in propriè dictis Synochis fiunt. Ac quamquam in Cerebrum, grauissimi, maximi, præcipuéque lethales morbi incidunt: Omnium tamen celerrimè morbi Cordis necant, seriùs Cerebri. A quibus Crisin (indicium naturæ victricis) haud quaquam subeuntibus, homines cum signis etiam coctionis intereunt. Inflammatio substantiæ Cerebri, à Phrenitide vehementi quidem morbo, solutu tamen facili, ac lethargo leuiori, haud parum diuersa, tertio ferè die occîdit. Vt tetano correpti intra quatuor dies intereunt: Sic qui Opisthotono detenti sudant, voceque ab initio intercepta per nares reuomunt, postridie moriuntur. Apoplexia, æstate quàm cæteris temporibus citius interimens, vt à causa frigida non semper existit, sic hæmorrhoidibus succedentibus soluitur. Hac paulo leuior Angina citra obstructionem fauces occupans, vel cessante suffocatione lethalis, repellentibus topicis ingrauescens, faucibus ita dolentibus vt nullus tumor appareat sed anxietas accedat, repentina præfocatione eodem die aut tertio iugulat. Quibus totus Pulmo vna cum Corde inflammatur vt lateri incumbat, secundo aut tertio die mors obrepit. Aeris λοιμώδης contagio si ad spiritus analogian habeat, Ephemeram pestilentissimam ac celerrimè enecantem inducit: Si ad humores, mitiorem febrem: bubone & exanthematis insignem, pueros quam adultos, mulieres quam viros, magis inuadentem. Cholera morbus, funestissima sane affectio, à sola acris biliosique humoris à toto corpore in ventrem fluxione ortum habens, citissimè hominem exhaurit: nec vnquam persistente fluxione reprimenda: Lipyriæ tamen superueniens est auxilio. Virium exolutio morbum omnem lethalem facit.*

VT *placidissimas affectiones natura ocissimè superat: sic à difficillimis celerrimè vincitur. Proinde peracutis morbis statim eodem die remediis valentissimis occurrendum. Phlebotomia (quam sanguinis non indicat πλήρωσις) in acutis purgatione tutior. Pestilentes morbi vt extremi, sic extremis remediis, vt antidotis καθ' ὅλην τὴν οὐσίαν aduersis, oppugnandi. Ex quibus sola Theriaca diuinioris cuiusdam originis ope prædita, pestilenti lue correptis, licet à febre nunquam liberis, remedio est: In cæteris spes est exigua. Præcipitis enim morbi sæuissimo insultu non represso innotescente, naturæ fatiscentis procinctu eluso, morboque inualescente, omnimodam facultatum deiectionem eodem tempore subsequi par est, non tamen semper in statu (ad quem diætæ ratio & omnium Criseωn regula dirigitur) sed ineunte interdum necdum progresso vlterius morbo mors ægrum rapit. In declinatione vero nunquam. In statu autem, aliorum temporum vehementissimo, vt Crises tutissimæ fiunt ac creberrimæ, ita & interitus: illæ simplicissimis affectionibus & firmatis signis securissimis quarto die aut citius succedunt. Interitum vero adferunt deterrimæ ægrotationes, signisque infestantes difficillimis, eodem die aut citius. Ad eius πρόῤῥησιν vrinis minus quam pulsui fidendum: à quo cum certiora signa sumantur, si pessimus existat, in propinquo mors.*

Ergo grauissimi morbi, quarto, vel antè, perimunt.

ASSEREBAT PETRVS COLLIER, PARISINVS. ANNO DOMINI 1600.